Quod felix fauſtumq́ ſit!

Suffragio & permiſſu

Magnifici, Nobiliſsimi, & Ampliſsimi, J C TORUM in Legum-nutrice Salanâ Ordinis,

PRÆSIDE

JCTO NOBILISSIMO ET PHILOSOPHO ACUTISSIMO

Viro Ampliſſimo, Excellentiſſimo & Conſultiſſimo,

DN. VALENTINO RIEMERO SILESIO, ANTECESSORE EMINENTISSIMO, CONSILIARIO SAXONICO DIGNISSIMO, DICASTERII Provincialis, Facultatis Juridicæ, & Scabinatus Jenenſis Aſſeſſore meritiſſimo & ſpectatiſſimo,

Præceptore, Hoſpite, Patrono & Promotore ſuo, parentis inſtar filiali parientiæ cultu ætatèm proſequendo,

EXERCITIUM JURIDICUM

De

INTRICATISSIMIS JURISPRUDENTIÆ NOSTRÆ INDIVIDUALIS ROMANÆ PRINCIPIIS

Ad diem 3. Auguſt.

Publicè

In Auditorio Juridico habendum & ventilandum.

Indicit, proponit

GOTHOFREDUS FIBIGIUS SILESIUS.

JENÆ

Typis ERNESTI STEINMANNI.

Anno M. DC. XXXIII.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

19

VIRO

Magnifico, Nobiliſſimo, Ampliſſimo, Excellentiſſimo & Conſultiſſimo

DN. GEORGIO FRANTZKIO

SILESIO,

JCto longè celeberrimo, Conſiliario Saxonico Vinarienſi, Anhaltino, & Schwartzburgico graviſſimo & honoratiſſimo,

Dn. ſuo Patrono, Promotori & Mœcenati opt. max, ætatemq; debitâ obſervantiâ proſequendo

Theſes haſce Juridicas

in

Gratitudinis debitæ Symbolum

&

Ulterioris benevolentiæ incitamentum

offert

Gothofredus Fibigius

Autor & Reſp.

PROSCENIUM.

MUlti multa diudum adſtruxerunt Juriſprudentiæ noſtræ Romanæ principia, ſed principiis Philoſophiæ practicæ deſtituti, potiùs decidia quàm principia, cum ſint erronea, ἄλογα, incerta, vaga. Mirari itaq; miriones hodiernos miror, contraria illis ſtatui à quibuſdam audientes, & hos multa peccare, ſtatuere. Miror, inquam, noſtrates Neotericos, rectiùs antiquarios, qui in talibus commentis antiquorum minimè antiquis in hunc uſq, diem veſtigia, concatenatâ & conjuratâ quaſi continuatione premunt, piaculum deputantes, talia edoctos à ſuis præceptoribus vel magis deceptoribus principia non velle approbare & defendere, potiſſimè titulo illo quem præ ſe ferunt, velut oculiferio moti: *Communis, communior, Communiſſima opinio.* Hant putant homines velut jus ipſum non poſſe eſſe absq; ratione utut plerumq; ſit contra jus: hanc præferendam ducunt unius opinationi ſingulari, cum plus oculi non poſſint non videre quàm oculus: Hoc apud ipſos verum audit, quod communis opinio audit, quamvis ἀφιλόσοφον ſit, quamvis planè etiam ἄλογον. Sufficere enim putant ſtabiliri poſſe fundamine communis opinionis. Et uti alii ſine Lege loqui, ita illi ſine titulo hoc quicquam defenſare & tueri, licet pluribus rationibus poſſint, nolunt, immò erubeſcunt. Verùm, ſi verum fateri verum eſt, immeritiſſimò. Communis enim opinio, communis plerumq; erratus & longe devium à veritate iter. Et certè Autoritate frangi, & imitamine avium unam eò, quò volat, magno numero

ſequentium, ſequi velle quà itur, non verò quà eundum, idem reor, ac errare, & recto velle deerrare. Quà eundum igitur, ego ſequar, nec autoritatem, ſed rationem ſequar. At quo duce? Quod enim tot interpretũ non potuit inveſtigatio, mea tyronis non tentabit imbellia. Unicum, qui Helice & Cynoſura erit, habeo, Ampliſs. & Excellentiſs. Dn. Præſidem, JCtum ſubtiliſſimum, Philoſophum acutiſſimum, cujus ope, cum nulla ante eſſet ad vera Juris principia indaganda via,

Helice græce ἑλίκη v. ursa major. Cynosura, e sydus septentrionale v. ursa minor.

Jamque aditus datur atq; via licet ire patenti.

Huic, uti omnes hos quales quales in Jure profectus, ita & hæc, quæ conſcripſi de veris Jurisprudentiæ Romanæ principiis uni & ſoli gratâ mente inacceptis referó, & mecum ſimul, quiqui ſcripſerunt unquam & Scripturi ſunt de hiſce aliquid. De principiis igitur, quibus ſine nec ſtudiorum principium, nec progreſſus, nec finis accidunt felices, acturi, principium facimus ab omnium rerum principio DEO TER OPT. MAX, cum omnia bene gerantur, ſi principium fiat decens & amabile DEO *Nov. 6*. ad rem ipſam exemplo *Imper. in l. 2. C. de opt. præt. progredientes.*

In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti.

THESIS I.

QVi difficultatem materiæ noſtræ deſiderat, indubium profectò vocat ille in dubium, non aliter ac ſi de maris profunditate quaſi de creperâ re incertè erraret animus. Non igitur quem eſſe vel fore reor, niſi qui vel divinus homo, vel inſigniter ſtultus. Cardinem vero hujus rei verti, animadvertimus in confusâ methodo, quæ materiem noſtram reddit difficillimã.

Creperus a, um: v. dubius, anceps.

Cardo v. dubium. Hinc cardinem alicujus rei esse dicimus in quo summa est.

Qua-

Quapropter diſtinctè nos, ut copia erit, procedemus, quò difficultas, ſi non infringi, debilitari ſaltem & minui poſſit. Duplicem verò putamus materiæ noſtræ poſſe eſſe tractationem, PROOEMIALEM ſeu NOMINALEM & REALEM. Illa conſiſtit in enodandâ definitione Jurisprudentiæ ὀνοματολογικῇ eâq; triplici, Etymologicâ, Æquivocâ, Synonymicâ. De Etymologiâ hic nihil, magni æſtimantes Ariſtot. quod habet 2. Rhet, monitum: ἀδολεσχία τὰ φανερὰ λέγειν Nugatorium dicere manifeſta,

Prendere quæ poſſis oculorum lumine aperto.

2. Æquivocatio magis hic nobis curæ erit. Sumitur enim Jurisprudentia pro ſyſtemate quodam, leges & jura congeſta nobis repræſentante, quod nos vocamus corpus Juris. Et ſi tali modo conſideratæ Jurisprudentiæ conſideratur finis, multiplicem pro diſcentis qualitate eſſe poſſe nemo non videt; & quidem etiam ſpeculativum ſeu theoreticum, enodationem vel ſcientiam Legum. Sed hæc acceptio à materiâ noſtrâ jam exſulat. Sequens eſt hujus loci, quando conſideratur ut habitus, quatenus ſuo ſubjecto Reipubl. beatitatem beneficio juſtitiæ debet acquirere. Et hujus finis non poteſt non in praxi conſiſtere, quam & prudentia nativa ſui ſignificatione involvit. Uti vero ſubjectum illud, Reſpublica, poteſt & debet conſiderari dupliciter, abſtractè vel in genere, & concretè ſeu in individuo, ita & ipſa Jurisprudentia, quæ, ſi verſatur circa Rempubl. in genere, nobis indigitatur Generalis, ſi verò huic vel illi Reipubl. tanquam ſuo ſubjecto felicitatem intendit acquirere, puta Romanæ, Græcæ, Polonicæ, Athenienſi, Specialis vel Individualis, qualem etiam noſtram Jurisprudentiam aſſerimus, ipſam Romanam appellantes, numero diſtinctam ab Athenienſium Lacædæmoniorum & Polonorum, arg. §.2. *Inſt. de J. N.G.& C.* Jurisprudentiâ, differentem à Generali, ut à ſpecie individuum.

f. omnis

Jurisprudentiæ subjectum est Respublica.

3. Synonyma hic fere nulla, niſi quod ſuo ſenſu jurisprudentia poſſit vocari Jurisſcientia, Jurisnotitia, Jurisſtudium.

4. Succedit REALIS tractatio, quæ abſolvetur legitimæ Jurisprudentiæ Romanæ definitionis poſitione illiusq; verâ

explicatione. Definitio talis eſto: *Jurisprudentia Romana eſt politica circa jus civile Romanum propriâ juſtitiâ inſtruens ad ſuā beatitudinem* Explicatio conſiſtit in enodatione *Generis Objecti, Subjecti, Finis & Medii* per quod acquiritur finis.

5. Generis loco ponitur politica tanquam genus proximū. Errant enim pro genere hoc deputantes Prudentiam, utut Jurisprudentiam noſtram in ſenſu Ariſtotelico nec intelligentiam, nec Scientiam, nec Sapientiam, nec Artem, ſed duntaxat Prudentiam dici poſſe ambabus largiamur manibus: Notanter dixi *in ſenſu Ariſtotelico*, cum Jurisprudentia non verſetur circa ὄντα ἀναγκαῖα ἀΐδια, ſed τὰ ἐνδεχόμενα ἄλλως ἔχειν, τὰ ἐφ' ἡμῖν ἐν μεταβολῇ ὄντα, & quidem τὰ δίκαια καὶ καλὰ καὶ ἀγαθὰ ἀνθρώπω, ut non aliā intendat felicitatem quàm practicam ſive τὸ εὖ ζῆν πρακτὸν ἀγαθὸν, nec ex ſe relinquat opus externum, niſi accidentariò, ſed in actione ipſa ſubſiſtat vel contenta ſit, quæ omnia ſunt prudentiæ propria, uti, ut omnia, ita & hoc, more ſuo ſolidiſſimè & ſufficientiſſimè monſtratum dedit Incomparabilis JCtus & Philoſophus Clariſs. Dn. Præſes, Præceptor & Patronus meus æviternùm obſervandus in eleganti ſuo de Principiis Juris tractatu part. 1. quò me remitto: Quin tamen in ſenſu ſtoico & latê acceptis vocabulis Scientiæ & ARTIS imitamine JCTORUM noſtrorum Jurisprudentia poſsit vocari, & Scientia & Ars nemo eſt qui dubitet, & concedit etiam *l. all.* Dn. Præſes.

6. Objectum Jurisprudentiæ eſt jus civile Romanum, q́ *in §. 1. Inſt. de J. N. G. & C. l 9. pr. l. 6. ff. de J. & J.* dividitur in commune & proprium. Per jus commune intelligimus nos & jus Divinum & Humanum, & hujus tùm jus naturæ, tùm gentium primævum & ſecundarium, non quidem quatenus abſoluta ſunt, mera & citra ullam σχέσιν ſeu reſpectum ad noſtrū jus civile Romanum, ſed quatenus approbata & approbatione Romana facta ſunt *argum l. 1. 2. & 3. §. 10. & 20. C de V. J. E.* Quanquam igitur & ita ſolùm hic debeant conſiderari, cum ſingula jura abſoluta proprias habeant diſciplinas, nec pertineant ad Jurisprudentiam: Iubet tamen ad meliorem Jurium approbatorum cognitionem ſingula in ſe

& ſua

& ſua natura breviter, & quantum fieri poterit cohibiliter expendere, & quidem ita, ut de cujuslibet juris abſoluti vero ſubjecto, fine, medio & modo obligandi aliquid afferamus.

7. Jus divinum verò hic non æſtimamus ex cauſa efficiente, nec objecto, ſed primariò ex fine divino & felicitate vitæ æternæ ad quam nos deducit, uti humanum ex fine humano & temporali.

8. Subjectum juris divini unũquodq; eſſe individuum quà ſalvandum, & in æternã beatitatem ſeu *ευδαιμονίαν* deducendum omnes, opinor, concedent. Non enim jus divinum hominem pro ſubjecto habet, quà eſt Princeps, vel civis, ſed ſaltem quà eſt homo.

9. Medium quod nos ad finem hic vitam ſcil. æternam deducit, eſt juſtitia Evangelii ſive fidei in Chriſtum Salvatorẽ noſtrum, qua ſolà nos juſtificari Paulus teſtatur *ad Gal. 2. v. 16.* & latiùs id probant Theologi.

10. Modus obligandi eſt obligatio divina ſeu conſcientia, quæ futuri judicii timorem incutit, non verò *δύναμις* aliqua *ἀναγκαστικὴ πολιτικὴ*, quæ ut ſalus exinde acquiratur Reipub. à Magiſtratu ſaltem exercetur. Utut igitur pœnæ in hoc jure divino conſtituantur in transgreſſores præſentis & futuræ vitæ, reſpectu tamen ſolius malæ conſcientiæ conſtitui ſtatuimus & eo ſaltem nomine ut unusquisq; divinam ſalutem adquirat vel adipiſci diſcat. Eleganter Ampliſs. Dn. Præſ. tract. de Contractib. *cap. 2. §. 9. p. 22.* extremâ.

11. Perſpecto jure divino ſuccedit diſpectio *Juris naturalis* & quidem primitùs quoad *ſubjectum*. Conſiderabimus verò illud & *κατὰ θέσιν* & *κατ' ἄρσιν*. Priori modo per regulã affirmativã, poſteriori per negativã. Prior hæc eſt: Solus homo quà eſt homo, & in ſeſe primùm rectè informandus, quà ipſe ad beatitudinem ſuam perducendus, ut ipſe ſummum bonum adipiſci poſſit, non verò quà in ſocietatem, vel domeſticam, vel politicam eſt redactus, eſt ſubjectum juris naturalis habile. Nam ſimul atq; homo fit membrum, vel domus, vel politiæ, non poteſt eſſe, quà eſt membrum, juris naturalis ſubjectum, cum ſit vel juris domeſtici, vel civilis, ſeu politici.

Sed

f. gráteng.

Sed tamen quà eſt homo in illa etiam ſocietate ipſi competit, quà ſibi vult εὐδαιμονίαν & felicitatem Ethicam acquirere, non quà ſalutem vel toti domui vel toti politiæ. Et qui, quæſo, poſſet jus naturale pro ſubjecto habere hominem, quà civem, cum civis quâ civis multoties jus naturæ tanquam reprobatum obſervare non debeat? Et ſi obſervat civis, non ut abſolutum, de cujus jam ſubjecto quærimus, ſed ut approbatum id obſervat. Secus ſi conſideramus civem, quà eſt homo in ſe, tunc enim omninò indiſtinctè ad id obligatur. Civis quà civis non tenetur exercere liberalitatē, ſobrietatem, & hoſpitalitatem, ſed tamen quà eſt homo & ſubjectum juris naturalis, neceſſariò cogitur. Non tamen quis putet, omnem omninò nobis hic à jure naturali removeri ſocietatem, adq; Jusgentium transferri, ſed eam duntaxat, quæ ipſi ſit conſtituendo, qualis domeſtica & politica. Nam quis non videt, non poſſe non hominem agere in ſocietate aliquà, quà Juris naturæ præcepta, alterum non lædere, ſuum cuiq; tribuere obſervare, quà fortitudinem, liberalitatem & alias virtutes exercere debeat? Errorem itaq; errant inexcuſabilem, qui matrimonium, cum efficiat ſocietatem, adſcribunt Jurigentium, cum tamen & illud fuerit antequam Jusgentium, immò & in ipſo fuerit integritatis ſtatu, à quo jus hoc exſuulaſſe abſurdè negitabunt & inficias ibunt.

12. Poſterior regula ita habet: *In bruta non cadit Jus Naturale:* Ratio eſt rationis deliquium, quod brutis omnes, niſi quibus cerebrum inquinatum, meris concedent lubentiis. Et ſanè, ſi bruta ſubjectum deberent poni juris, conſequens eſſet, & Ethicæ & ipſius εὐδαιμονίας ſeu ſummi boni, quod tamen ἀτοπώτατον & perdelirum. Eò namq; brutorum actiones pertinent, ubi ἐξ ἀνάγκης ὄντα conſiderantur, non verò ubi τὰ ἐνδεχόμενα ἄλλως ἔχειν. Bruta enim quicquid faciunt, neceſſitate Phyſica faciunt, nec aliter atq; aliter agere potis ſunt deſtituta dominio in ſuas actiones, Ergò certè nec ſecundùm jus vel contra jus poſſunt dici agere, quod liberum agentis practici requirit arbitrium, ita ut illud & felix & infelix fieri poſſit, temperans & intemperans, juſtum & injuſtum, fortè &

timi-

timidum, & ita porrò. Multa nobis diſſentientes obganniunt, ſed certè levia non dicam ſub abſurda: Volſellis pugnant non gladiis. Nolumus itaque in hujuſmodi longis logis & ineptiis refutandis eſſe longi, ſed unicum hoc reponimus *ad pr. Inſt. de J. N. G. & C. & l. 1. §. 1 ff. de Juſt. & Jur.* non eſſe ibi proprium Juris naturalis uſum ſed abuſum, nimirum analogicè propter ſimulacra quædam juris Jus naturæ ab Imperatore brutis concedi; quò etiam reſpexit Plutarchus in inſcriptione libelli ſui: τὰ ἄλογα λόγῳ χρῆσθαι. Alii quos ſequitur noviſſimè Gœhauſ. *per. 1. quæſt. Acad.* acu rem tetigiſſe putant & optimè poſſe, Imperatorem propriè fuiſſe locutum, defendi, ſi dicatur Jus naturæ dupliciter poſſe conſiderari, vel materialiter quantum ad actus brutis nobiſcum communes, & ita etiam *JC. in d. l.* vel formaliter quoad rationem juris & ita brutis non competere. Verùm magis ſic Imperat. implicant quàm explicant. Demonſtravit id ad oculū Ampliſs. Dn. Præſes in Prælect. publ. quem unicum allegaſſe ſufficit.

13. Finis Juris naturalis eſt ſummum bonum ſeu felicitas Ethica, quæ Philoſopho definitur ἐνέργεια ψυχῆς λογικῆς, κατ' ἀρετὴν ἀρίστην καὶ τελειοτάτην ἐν βίῳ τελείῳ. Medium virtutes ſeu Juſtitia, quæ in ſeſe virtutem continet omnem. Modus obligandi conſiſtit in honeſtate, pudore aut etiam conſcientiâ, non verò in vi aliqua coercitiva ſeu δυνάμει ἀναγκαστικῇ πολιτικῇ, ita ut, ſæpiùs licet quis peccet contra Jus naturæ, non tamen puniatur civiliter, niſi jus illud ſit approbatum, de quo jam nobis non eſt ſermo.

14. Sequitur nunc conſideratio Juris gentium quod differt à Jure naturali ſubjecto: illud enim hominem abſolutè & in ſeſe reſpicit nullâ habitâ χέσει ad ſocietatem vel gentem, adq; ſuam felicitatem perducit: hoc reſpectivè quatenus in gentem ſocietatemq; eſt congregatus. Uti verò ſocietas hæc duplex, *domeſtica & civilis*, ita & jus gentium quod verſatur circa ſocietatem, erit vel jus domeſticum, quod nominitatur nobis primævum, vel Jus civile, quod ſecundarium. Jus domeſticum eſt, quo domus ad beatitatem ſuam dirigitur. Dicitur verò primævum non quidem dignitate, quaſi hoc jus jure politico

B

litico ſeu civili ſit præſtantius, ſed tempore, cum immediatê fluxerit ex jure Naturæ, & ipſius ſubjectum ſit prima ſocietas gentem aliquam repræſentans, Nam & gentis nomen in unâ familiâ, ut gens Claudia &c. *Dn. Præſes Dec. 1. quæſt. 3* Et hoc jus noſtrũ domeſticum ipſe agnoſcit *Ariſt. lib. 1. M.M. cap. 34.* ubi jus dividit in οἰκονομικὸν & πολιτικὸν, & ita ſimul diverſum facit à jure civili, ſive Juregentium, nobis ſecundario. Nec quoq; referri poteſt ad jus Naturæ, uti omnes ferè jus primævum confundunt cum jure naturali, moti §. *11. Inſt. de R. D. & l. 1. pr. de A. R. D* cum in jure Naturæ nulla inæqualitas, nulla coactio, ſed ſaltem homo homine ſuperior ſit conferendis in eum beneficiis; quâ ratione parentes ſunt ſuperiores natis, maritus uxore, patronus cliente. Et ita etiam intelligendus eſt Philoſophus *lib. 10. Eth. Nic c. ult.* quando inquit: Paterna ordinatio neq; vim, neq; neceſſitatem habet. Verùm in jure domeſtico incepit jam & inæqualitas & coactio, & tota familia unius patrisf. imperio eſt ſubjecta. Et quî quæſo, poſſet jusgentium primævum idem eſſe cum juræ naturæ, cum hoc cum ipſo genere humano immediatè natum ſit *§ 11. Inſt. de R. D.* illud vero ſocietate mediante domeſtica fuerit introductũ â gentibus. Jam accidens neutiquam poteſt exiſtere absq; ſuo ſubjecto vel ante illud. Aut igitur gentem immediatè prodiiſſe cum homine à natura, puta cum Adamo abſurdè concedere coguntur, aut jus noſtrum domeſticum primævum diverſum à jure naturæ, fateri. Aliter res ſe habet, quando fit oppoſitio inter jus commune & proprium, tunc enim jus naturæ & gentium, multoties à JCtis confundi ambabus largior manibus, uti & illis hoc ſolemne eſt, ut ea, quæ aliâs juris naturæ, adſcribant jurigentium, reſpectu approbationis. Diſſentiunt à nobis omnes ferè Dd. neoterici, ſed neſcio, quâ moveantur ratione. Ante jam demonſtravimus verum eſſe jus domeſticũ & demonſtramus inſuper ita. Uti Theologia ſubjectum ſuum in felicitatem aliter deducere non poteſt, quàm mediante jure divino, Ethica, jure naturali, Politica, jure politico ſeu civili quod juſtitiam & virtutem præſcribat, ita & Oeconomica opus habet jure domeſtico, quò domus rectè conſtituatur,

conſti-

conſtituta conſervetur, & ad felicitatem ſuam perducatur. Si hoc conceditur, concedunt quod volumus.

15. Modus obligandi eſt vis coactiva. Homines enim cum potiùs timori quam pudori, mulctis & neceſſitati, quàm honeſtati obædiant: & abſtineant à malis ob pœnam, non ob dedecus teſte *Ariſt. l. 10. Eth. Nic. c. 10. pag.* (*mihi*) 174 neceſſitudo poſtulavit vim adhibere coercitivam caſtigationes & pœnas inobœdientes ſtatuere, ut ſicut in civitatibus hodiè legum inſtituta, ita & in domibus paternæ orationes valeant *Ariſt. lib. 10. Eth. Nic. cap. ult.*

16. Finis Juris domeſtici eſt beatitudo totius domus non verò vel Patrisfam. vel ſervi ſolius, quà homines ſunt, ſed quà membra ipſius ſocietatis domeſticæ. Et hæc felicitas non eſt privata, ſed jam reſpectiva publica. Paterfam. enim non ſibi ſolùm, ſed toti domui tenetur adquirere ſalutem & ſtatum tranquillum beatumque.

17. Medium eſt Juſtitia domeſtica diverſa à juris naturæ uti & ipſum jus diverſum.

18. Jus civile ſpeciale ſeu generale eſt Jusgentium ſecundarium, quod non primò & immediatè ex jure naturæ, ſed ſecundariò mediante jure domeſtico deſcendit. Vocamus ſpeciale cum multa ſub ſe habeat jura individualia puta Romanorum, Athenienſium, Lacedæmoniorum, Polonorum, Saxonum &c. *arg. §. 2. Inſt. de I. N. G. & C.* in genere

19. Subjectum eſt civitas ſeu Reſpublica abſtractè conſiderata, non verò in concreto, ſive in individuo.

20. Modus obligandi eſt ꝓpriè dicta δύναμις αναγκαςικὴ vis coactiva ideo que huic juri judicia, actiones adſcribimus.

21. Finis eſt ſalus Reipubl. Medium Juſtitia civilis ſpecialis, diſtincta ab Ethicà & domeſticà. Atq; hactenus de juribus communibus abſolutis, ad quorum cognitionem & hoc notandum, quod vel ſint reprobata vel libera relicta.

22. Illa ſunt, quæ publici boni gratia rejecta & contrariũ tanquam magis ſalutare Reipubl. in Romano jure receptum. Hæc neminem in Republ. Romana vi coërcitivâ obligant, ſed cuiq; ſervare vel negligere permittitur. Sic jus divinum quoad

actus interiores concupiſcentias puta, homicidia & adulteria interiora permiſſivum eſt, nec pœnam ullus cogitationis patitur in foro fori exteriori, *l. 18. ff. de pœn.* utut in foro poli ex conſcientiâ ſuâ pœnam mereatur & exſpectet. Jus naturæ aſpicimus, illud quoad ſobrietatem, beneficentiam, hoſpitalitatem liberũ videmus relictũ, Lex Veneri poſita eſt Julia, nulla mero. Exempla juris divini reprobati, tùm Juris naturalis in ipſo diſputationis actu allaturi ſumus. Quamvis enim jus naturæ ſit immutabile § *pen. Inſt. de I. N. G. & C.* in ſe & ſua natura, nec intrinſecè mutari poſsit, poteſt tamen extrinſecè in ſubjectis alterari, modificari & inflexionem quandam pati *l 6. D. de J. & J.* & ita etiam reprobari. Nã & ea, quæ reprobantur ex jure naturali, manent adhuc juris naturalis, & obſervanda ſunt homini, quà eſt homo, cum reprobatio vel approbatio, ſit merum accidens, quod non poteſt tollere juris naturalis eſſentiam. Et hoc quoq; dictum velimus de jure divino.

23. Sed hæc omnia ἐν παρῳδῳ. Nunc quod noſtri inſtituti eſt, agemus de jure communi approbato & proprio, quod objectum ſupra th. 6. Jurisprudentiæ conſtituimus. Approbatum jus eſt, quod Respubl. Romana ex aliis juribus communibus, Jure divino, Naturæ & Gentium deſumſit, & δυνάμει ἀναγκαστικῇ corroboravit. Proprium verò, quod Respubl. Romana ipſa adinvenit nec aliunde deſumſit, ſed quod bono publico ſalutare putabat, ipſa conſtituit.

24. Vidimus itaq; Genus & Objectum noſtræ Jurispru. dentiæ: ratio ordinis nunc poſtulat, ut conſideremus jam ſubjectum, ipſius finem, & medium.

25. Subjectum eſt Respubl Romana. Hinc jus divinum, naturale & Jusgentium quatenus approbata, non aliter ac jus proprium ſolos Romanos ſtringit atq; obligat, ut vel inde magna juris abſoluti & approbati appareat differitas. Si enim ſingula jura abſoluta & in ſeſe aſpiciantur, proprium & diverſum ab alterius juris ſubjecto cujuscunq; juris inveniemus ſubjectum, quod tamen unum & idem adipiſcuntur illa jura per adprobationem.

26. Modus obligandi eſt vis coactiva, & quidem Romana ſecundùm civitatis noſtræ jura *pr. Inſt. de oblig.* ut ita jus divinũ

quod

qùod conſcientia ſolùm, *Jus naturæ quod honeſtate*, eatenus quà per approbationem Romana facta, neceſſitate ſtringant Romanâ.

27. Finis eſt ſalus Reip. Romanæ & beatitudo Romani Imperii *l. 8. in fin. C. de ll.* ſtatus tranquillus & pacificus. Cum itaq; juris divini etiam approbati finis quoq; ſit temporalis, & mundanus, ſalus nimirum Reip, Romanæ, non mirum ſanè eſt, illud in totum non fuiſſe approbatum, ſed maximam partem liberum relictum, & ex parte etiam reprobatum, cum approbatio cujuscunq; juris eò duntaxat tendat, ut proſit Reip. Romanæ & felicitas inde acquiratur, ad quam ſufficit ab ipſis actibus civilibus & factis abſtinuiſſe.

28. Medium cujus beneficio Reip. Romanæ ſalus acquiritur eſt Juſtitia Romana numero differens ab Athenienſium, Lacædemoniorum, Polonorum, Saxonum Juſtitiâ, ſpecie verò diſtincta ab Ethicâ. Et hanc *Ariſt. 5 Pol. c. 9.* δικαιοσύνην vocat πρὸς τὴν πολιτείαν, cum omnino alia ſit virtus viri boni, alia civis, uti pluribus diſputat eleganter *Ariſt. lib 3. pol. c. 4. per tot.* civis virtus ſive juſtitia debet eſſe ad Rempubl. ergo civis Romani ad Romanā Rempubl. Juſtitiam Ethicā eſſe medium, qui aſſerunt, errare ita demonſtramus: Ubicunq; eſt diſtinctum à jure Naturæ ſubjectum, diverſus obligandi modus, diverſa quoq; felicitas, ibi & neceſſarium eſt diverſum ad illam felicitatem adipiſcendam medium. Atqui prius verum. E. & poſterius. Neutra igitur juſtitia vel univerſalis vel particularis eſt ſufficiens medium: Ut enim taceam, univerſalem non eſſe univerſalem, quatenus opponitur particulari, hoc ſaltem jam urgeo, illam ex diſſentientium mente univerſalem competere homini, quà eſt homo, quà ſibi ſummum bonum non quà Reip. velit adquirere beatitatem. Hanc ſi admittimus, & pietatem in Deum, amorem in ſeipſum, fortitudinem quæ non poſſunt non facere ad Imperii felicitatem & ſtatum beatum excludimus. Sanè ſi ad libramentum judicii hoc exactiùs revocamus, apparet nec ſufficere virtutes Ethicas ad Reip. ſalutem, nec omnes etiam requiri, ideoq; liberas relictas plurimas & reprobatas quoq; invenimus. Si ſufficerent, jus Naturæ ſufficeret, nullo eſſet opus jure proprio, cujus objectū, actus ſcil.

indifferentes per ſe neq; mali, neq; boni, an ſint virtutes cuivis judicandum relinquo. Et certè ille non dicitur juſtus in Repub. Romana, qui juſtus eſt in Repub. Athenienſium ipſorumq; leges obſervat, multo minus qui juſtus eſt Ethicè, ſed qui Romanis obœdit legibus. Concludimus ergo juſtitiam Romanam medium ad beatitatem Romanam eſſe ipſas leges. Romanas neceſſitate Romanâ armatas, nec aliquem poſſe eſſe juſtum in Repub. Romanâ, niſi qui Reip. legib. Rom. præſtet patientiam. Non tamen diffiteor hanc juſtitiam Romanam poſſe vocari univerſalem ſecundùm *Nov. 69.* ſed ſenſu alio quàm vulgato, quatenus ſcilicet in universa Republ. Romanâ elucet & conſpicitur: immò & particularem puto quatenus in uno quovis membro Reip. Rom. reſidet ab eoq; exercetur. Vide omninò Ampliſs. & Excell. Dn. D. Frantzkium JCtum acutiſſimum, Dn. Patronum Promotorem meum incomparabilem Exercit. Juſt. quæſt. 1.

29. His jam benejactis fundamentis, facilè, quæ ſub quæſtionis incudem hîc revocari ſolent, reſolvi poſſunt. In utramque partem jamdudum ætatem fuit arbitratum hoc ζήτημα: An Jus noſtrum Romanum conſtet opinione an ratione? Omnes, niſi fallor, affirmant, poſteriùs indiſtinctè. Nos utrumque poſſe aſſeri aſſerimus diſtinguentes cum Ampliſs. Dn. Præſide, Doctore & Patrono meo maximo, inter jus commune approbatum & propriũ, illud ſcilicet conſtanti, univerſali, communi, & certâ conſtare ratione, ideoq; ſemper juſtum fuiſſe, & ubique juſtum eſſe, hoc verò probabili ſeu arbitrio & opinione conſtituentium, & quidem ob hanc ſummam rationem, cum verſetur circa actus indifferentes naturâ ſuâ, id eſt, neq; bonos ſimpliciter, neq; malos, qui certè ex nulla certâ ratione poſſunt effici mali vel boni, ſed opinionetenus tantùm & ex ratione probabili, cui aſſentiri poſſumus vel non. Nam jus hoc proprium non ex ſe juſtum eſt, ſed quia id præcipere legislatori placuit, nec ſemper, nec ubiq; apud omnes juſtũ eſt, ſed apud certum tantùm populum, immò & quod hodiè juſtum, cras poteſt eſſe injuſtum opiniotenus duntaxat, non verò ex ratione certâ & naturali. Et hoc ipſum innuere videtur *Ariſt.*

lib.

l. 5. Eth cap. 7. dum jus dividit in φυσικὸν καὶ νομικὸν, nihilque referre, hoc quomodo ſe habeat, ſed ſimile eſſe menſuris, quæ uti non ſint ubiq; æquales, ita & jus civile hoc proprium, cum nec Respub. apud omnes ſit eadem. Argute ſatis ita inter jus commune & proprium diſtingui ab Excell. Dn. Præſide fatetur *Gœhauſen part. 1 quæſt. Ac. quæſt. 9. extr* erroris tamen nihilominus arguit, non modo quod à particulari ad u niverſale argumentetur, & ex uno vel altero juris proprii exemplo, cujus ratio non poſſet reddi, generaliter de toto concludat, verùm etiam longe alium eſſe *l. 20 de Legib.* ſenſum ab eo, quem Dn. Præſes aſſignat, & deniq; ſicut ad conſuetudinem rationabilitatem ita & ad jus ſcriptum requiri. Verùm pro Dn. Præſide hæc reponi poſſunt: primò quidem in genere, non omnem ab ipſo excludi rationem, juri noſtro proprio opinionem adſignante, ſed ſaltem certam & neceſſariam, probabilem tamen omninò ipſi attribui: Deinde falſum eſſe, quod jus hoc ex uno metiatur vel altero exemplo cum brevitatis duntaxat cauſa unicum attulerit: Ad tertium nihil jam reſpondemus, ſed quod ſolâ affirmatione affirmat, ſolâ negatione ipſi refellimus. Et ſi probationem deſiderat, adſpiciat modo *l. 21. b. de legibus*, quæ rationem continet legis præcedentis 20. Et quod maximè eſt notandum loquitur *d. l. 20.* de jure jam conſtituto non conſtituendo, quod jam noſtræ eſt conſiderationis. De illo enim ejusq; ratione diſputare & dubitare ſacrilegium eſt. Ultimo quod affert loco eſt κρινόμενον. Negamus enim & pernegamus neceſſariò requiri in conſuetudine rationem certam & neceſſariam ſed opinionem etiam ſufficere ſeriò aſſerimus. Aliud igitur eſt, errore eſſe introductam conſuetudinem & non ratione, aliud opinione, cùm & opinio non ſit absque ratione. Sed hîc receptui canimus à Deo ulterius in ſtudiis auxilium, à commilitonibus benevolentiæ favonios, ab omnibus tenuitatis veniam, eâ qua par eſt ſubmiſſione, etiam atque etiam orantes.

Terminalia ſunto.

Sup-

Homo non eſt animal.

Lex poſitiva non obligat in conſcientiâ.

Mutuum eſt contractus διπλευρος *contra omnes Dd.*

Juriſconſultis jure debetur præcedentia præ Medicis.

Communis error eſt, communem errorem jus facere poſſe.

Juris noſtri tanta eſt certitudo, ut in artis formam redigi poſſit.

Practica diſciplina debetur prærogativa, non Theoretica.

Erudititſsimo Dn. RESPONDENTI, Amico pl. dilecto.

STrenuus ad palmæ veluti contendit honores,
nec patitur ſonipes, curſibus eſſe moras.
Gnaviter in juris ſtadio ſic curris, Amice;
nec pateris, lentas curſibus eſſe moras.
Perge tuo in curſu, dignam mox Diva coronam
imponet capiti Juridicina tuo.

amoris ergò appoſ.

M. Hieronymus Prætorius
Hamburg. Phyſ. P. P.

QVi *de principiis* trutinabere tmemata *Juris*,
gnaviter *ad finem* progrediere bonum.
Quem Phœbus Phœbeq; vident palleſcere chartis,
veſtiet hunc læto larga rubore Themis.

lubq; f.

Johan-Michael Dillherr
P. P.

FINIS.